Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1287

Quelle:
Copyright:

Rer. Mogunt. Nic. Serarii in Collect. *G. Chr. Joannis* T. I. P. 2. p. 707. lego: *Irrepſit Moguntiam hiſce temporibus* (ſub Conrado II. electo 1388) *Waldenſium hæreſis, adeo vt ea infames XXXVI. ciues Bingam abducti et ibidem igne plexi ſint.*

XXXVI. *fol.* 289. *Tractatus de periculis Eccleſie*, addidit alia manus, *compilatus per Vniuerſitatem pariſienſem.* Eſt vero *Guilielmi a S. Amore Codd.* etiam DXLIII. et ſeqq. repraeſentatus, incipiens: *Ecce videntes clamabant foris Angeli pacis amare flebant* &c. et alias inſcriptus *de Periculis noviſſimorum temporum.* Ultimus hic paragraphus C. XIV. qui infit: *Si autem cetera praedictorum* &c. deeſt.

CCCXXX.

801 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 118. 8. eleganter exaratus, et rubricis diſtinctus hunc Titulum praefert: *De Preſcientia dei et Predeſtinatione. Caput Primum Prime Libri Partis.* Initium: *Cum omnium que operatur trinitas preſcientia eius diſpoſitio et uoluntas actum precedat. oritur inueſtigatio de preſcientia dei. de prouidentia. et predeſtinatione. de uoluntate dei et poteſtate* &c. Opus ad cauſſam *Godeſcalchianam* pertinens in manus tibi veniſſe putes. Verum inſumtis in praedictum argumentum *Capitibus* III. *Caput* IV. ita orditur: *Nunc de illa parte fidei eſt agendum. que ad ſacramentum incarnationis pertinet.* &c. Ita V. de libero Arbitrio, VI. de tribus Virtutibus, quibus domus dei conſtruitur, VII. de Timore Dei, VIII. de Baptismo &c. tractat, ut adeo Συμμικτα potius Dogmatico — Aſcetica tradat Autor ἀνωνυμος, quam Opus aliquod partibus inter ſe nexis conſtans. *Pars* ejus I. cenſet *Capita* XXX. quorum ultimum exponit locum *Pauli 1. Cor.* 13. de Caritate. *Pars* II. *Capitum* totidem incipit: *De his qui edificant ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus* &c. *Pars* III. *Capitum* XXIV. orditur de tribus Silentiis in illud *Sap.* 18. *Cum medium ſilentium tenerent omnia*, et exit in prolixum *Auguſtini ſuper Geneſim* locum, qui terminatur: *in ara cordis. igne feruide karitatis.* Autor, ut videtur, Monachus ſua numeris amat includere; ita identidem legas: *Tria ſunt, quae* &c. *Quatuor ſunt, in quibus* &c. *Septem ſunt, quorum* &c.

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 410
XIII. Folior. 73. 4. commode perſcriptus *Libros* IV. *An. Manl. Sev. Boethii* Scriptoris Sec. VI. *de Trinitate* cum *Commentario* ita continet, ut columna interior anguſta *Textum*, exterior lata *Expoſitionem* repraeſentet. Eſt vero *Expoſitio* haec, quod quidem *Codex* tacet, *Gilberti*, non Abbatis *Urſicampi* O. Ciſt. ut e *Jac. Phil. Bergomenſis Supplem. Chronic.* refert *Viſchius* in *Bibl. Ciſt.*